



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Breviario Concionatorio, Strenæ, Fidelis Prophetissa Concionibus de B. M. Virgine serviens, Conciones Occurrentes & Funebres

Tylkowski, Wojciech

Oliva, 1686

In Baptismo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51821](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51821)

IN BAPTISMO.

SI haberemus eiusmodi verba quibus prolati lapides in aurum verteremus, quantum gauderemus: habemus verò talia quibus non solum amicos DEI, sed etiam Filios, qui jure filiorum cœlum & DEI benedictiones petere possunt, facere valemus. Dignos amicitiam DEI facit baptismus, quia peccata quæ huic obsunt amicitiam tollit. Ezech. 36. *Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris,* Et quidem non solum auferit originale peccatum, sed etiam omnia alia si quæ habet qui baptizatur. Aug. lib. de Bapt. parvulorum, *Generante carne tantummodo trahitur peccatum originale, regenerante spiritu non solum Originalium, sed etiam voluntariorum fit remissio peccatorum* Insuper ut non solum homo careat maculâ. sed etiam ut coram DEO pulchrè ornatus compareat, facit Baptismus. Quia per baptismum consequimur gratiam sanctificantem & virtutes, ut docet S. Th. 3. p. q. 69. Et non tantum efficimur amici, sed etiam membra Christi, unde sicut ex capite in membra omne bonum redûdat, sic in nos ex Christo. Hæc docet S. Th. 1. c. a. 5. & 7. Incorporatio, scilicet Christo, illuminatio ab eodem, sicut oculi qui sunt in capite illuminant membra, & fœcundatio, ut bonis operibus abundemus, aperiatio cœlestis januæ, sunt effectus baptismi. Sed non tantum efficimur amici sed etiam Filii Jac. 1. *voluntariè genuit nos verbo veritatis.* Scilicet verbo illo *Ego te baptizo &c.* Quod est verbum Christi, qui est veritas.

A hanc

hanc filiationem id sequitur quod dicitur 1. Joan. 3. *Nunc Filii DEI sumus & nondum apparuit quid erimus, quia cum apparuerit similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est.* Quid faciat hæc filiatio non videmus modò, sed videbimus post mortem, quando non baptisati rejicientur à cœlo, baptisati admittentur: quando sicut Fratres cum Christo confidebimus. Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu S. non potest introire in regnum DEI.*

Nascitur per Baptismum Filius DEI, sed adhuc eget tutoribus, datur in tutorem ille sanctus cujus nomen baptisato imponitur. Unde Amor 6. *Ve qui imponunt nomen suis Filii Filiorum Gentium.* Datur nomen sancti ut habeat exemplum continuum quomodo tueri debet suam filiationem exemplo sancti apud DEUM, ne illam vitâ malâ amittat, ut semper baptisatus, id est, locus inveniatur, nunquam inquinatus ut pudeat illum non esse talem qualis nominatur. Dicitur est alicui Militi pusillamini, qui se Alexandrum vocabat. Aut nomen muta, aut gere te ut Alexander Epiph. hæc. 78. *Ex ipsis nominibus etiam virtutum signa elucent &c.*

CONCIO.

In electione alicujus ad Dignitatem, vel ejus acquisitione.

CUM in cœlo Christus ad suam Dignitatem à Patre provehetur, factus est triumphus. Apoc. 19. *Audivi quasi vocem turbarum multarum in celo dicentium, alleluja, laus & gloria & virtus DEO nostro, & iterum dixerunt alleluja, & ceciderunt seniores viginti quatuor, & quatuor animalia, & adoraverunt DEUM sedentem super thronum, amen, alleluja.* Correspondeat & terra. Et audivi vocem quasi turbe magnæ, & sicut vocem tonitruorum magnorum, dicentium alleluja. Quæ causa? Quoniam regnavit D. DEUS noster omnipotens. Pannonius & Anselmus